e-codices

tis videntibus et cum magna voce orans emisit
spiritum Quod cum populi audissent cum nimia celerita
te venerunt et auferentes corpus eius posuerunt
in sarcofago novo Et factum est dum aromati
bus condiret corpus eius et cum nimia diligentia
collocaret eum venit quidam iuvenis sericis ve
stibus indutus quem sequebantur amplius quam centum
pueri omnes coronati et pulchri: quorum pulchri
tudinem omnes admirabantur Quos nullus vider
at ante in civitate cathinensium nec postea
eos aliquis vidit nec inventus est aliquis qui diceret
hoc scire Hic ergo veniens intravit ad locum
in quo condebatur et posuit ad caput eius
intra sarcofagum tabulam brevem ex marmo
re factam in qua scriptum erat mentem sanctam spon
taneam honorem deo et patrie liberationem
Posuit ergo hanc scripturam ut diximus intra
tumulum ad caput eius et tam diu ibi stetit
quam diu cum omni diligentia clauderetur Clauso
ergo sepulchro abscessit Et ut diximus super
eius nec visus nec auditus est in regione illa
vel in tota provincia siculorum Unde suspicati sunt
omnes quod angelus dei fuisset Et hanc scripturam
divulgantes omnes qui viderunt siculos solli
citos reddiderunt et tam iudei quam etiam ge
tiles una cum christianis communiter sic ceperunt
venire et venerari sepulchrum eius Tunc quin
cianus audiens hec arripuit iter ut iret cum
omni officio suo ad investigandas omnes facul
tates eius et optineret omnes de parentela eius
ut hoc facto dei iudicium incurreret Denique
dum transiret flumen per navem duo equi fre
mitum inter se dantes calcesque iactantes
unus eum morsibus vastavit alius eum calcibus
volvens deiecit in flumen symethum et non est
inventum corpus eius usque in presentem diem Unde
crevit timor et veneratio circa beatam agathen
et nullus umquam molestus fuit generationi eius
Ut autem illa scriptura quam angelus domini posuit
firmaretur post anni circulum et proximo die
natalis eius mons ethna eructavit ignem
divinum et quasi fluvius currens ita ignis ve
hemens saxa et terram liquefaciens venie
bat ad cathinensium civitatem Tunc paga
norum multitudo fugiens de monte cucurre
runt et venerunt ad sepulchrum sancte agathe
Et auferentes velum unde erat coopertum
sepulchrum eius et statuerunt illud contra ignem
venientem et ea hora stetit ignis divinus
qui cepit pridie kalendas februarii et cessavit die no
narum earundem qui est dies sepulture eius
ut comprobaret dominus noster ihesus christus quod a periculis
mortis et de incendio orationibus et meritis beatissime
martiris sue agathe liberavit populum suum
cui est honor et gloria et imperium sempiternum
in infinita secula seculorum Amen

Passio sancti Valentini martiris

Propheta loquitur ad deum secundum altitu
dinem tuam multiplicasti filios ho
minum In ipsa multiplicatione illi spe
cialiter ad deum pertinent qui vitam
suam voverint creatori ita ut corpus et animam
intentissime christo faciant Unde beatus vir inter
amnensis episcopus sanctus valentinus bene vivendo
meruit virtutibus adherere Que virtutes
latentem hominem omnium mundo credentium
animis tradiderunt Igitur cum athenenses
nobiles nati proculus efibus et apollonius
scolastici viri apud grecos latina studia
desiderassent apud cratonem civem suum ora
torem utriusque lingue in urbe roma ho
spitabantur huius et magisterio et hospitio
fovebantur Factum est autem ut eiusdem cratonis
filius cherimon nomine iuvenis scolasticus
sic incideret egritudinem ut incurvatus
dorso caput habens inter genua cerneret
Cumque omnes pene medici qui in urbe
roma erant nulla ei possent ratione su
currere extitit quidam fontegius tici
burtius qui diceret ei istam passionem circa
suo evenisse germano et curatus esset
a quodam sancto valentino episcopo quem interamne
urbis civis et hortatur transmittere ad eum
Denique ipse puer ex quo curatus est non
illum deseruit dicens enim Ibo et huius boni
tatis affectu me faciam esse constrictum
Audiens hec craton misit ad illum nobiles
viros amicos suos qui illum rogarent ut
ad urbem romam dignaretur venire Quem
cum veniente craton hospicio recepisset
ostendit ei filium suum cherimonem et cepit
petere eum ut sic germanum curavit
fontegii ita et isti succurreret Cui sanctus
valentinus episcopus dixit Si tu vis curabitur
Et craton dixit ad eum Dimidiam partem
substantie mee tibi dare disposui si istum
abhac infirmitate liberare potueris Cui
sanctus valentinus respondit Miror te magistrum
prudentem non advertisse quod dixi Tu
si vis curabitur Nam si credideris christo meo
fides tua preciosa est deo magis quam tu
Quid in rebus vilissimis et vanis vitam
tuam expendis Credis effigies maligno
rum hominum in ligno aut in quocumque
metallo expressas aliquam divinitatem
habere que merito hoc obtinuerit Num
autem ut non possint credi qui sordidissimis

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 118r – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/en/vad/0070/118r)